



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Quàm magna sit occasio puritatis cordis in vita religiosa. Cap. xvij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Laurent. Iust. lib. de humil. c. 5.

dis cubiculum ingrediatis, in quo solo tres prædictos panes, & denique pacem ipsam tam propriam tui status, assequeris. Hoc enim his verbis docuit Laurentius Iustinianus. Vult enim totius bonitatis Dominus infirmum hominem mortalis corporis pondere grauatum, iacentemque erigere, illuminare, allicere, terrere: vt redeat ad cor, inspiciat se, atque intelligat extra se nihil esse turum, nihilque liberum, sed cuncta esse laqueis plena, sollicitudinibus referta, vallata tribulationibus, permixta scâdalis, pacemque eundem non nisi in se posse percipere. Nam quamdiu vagatur extra se, tentatur, turbatur, decipitur, impellitur, deprædatur, vulneratur. Quod si, ô anima mea, nondum has tuæ internæ habitacionis delicias experta es, fac vt experiaris. Linque animo, quod professione reliquisti. Linque cõsanguineorum familiaritatem: eorum, aut prosperitates, aut aduersitates obliuiscere, quia cum mundo mortua sis, ad te non pertinent. Deferre amicos, confortia, honoris anxietatem, commoditatis sollicitudinem, ac omnium rerum temporalium memoriam. Collige te intra cor tuum, quare te ipsam intra te, & quæ extra te perditæ eras, intrò te lucratam inuenies. Scrutare regnum Dei in corde tuo, quia regnum hoc intra te est. Inquite in hac aula interiori Deum tuum habitatorem eius, tene eum, ne dimittas, sicque omnia bona, quæ optas, eris assequuta. Væ tibi, cum hanc iucundissimam habitacionem derelinquis, quia luto & limo terrenarum cogitationum sordescis, & puritatem deseris, cuius causa in religionem venisti. Euenietque tibi illud, quod ait Hugo de sancto Victore, Cùmque anima elabatur ab istis, & inuoluitur in illis, vanitas illam recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia, sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, qui vnum Deum, (qui ei sufficere poterat) dimisit. Ne ergo in hæc mala incurras, & tam ingentia bona dilapides, ingredi in cor tuum, & dicetur de te: Quia grandis effecta es, & ingressa es.]

Hugo lib. de anim. c. 20.

Exech. 16. 7.

Quàm magna sit occasio puritatis cordis in vita religiosa.

CAPVT XVII.



VM anima in cor suum ad habitandum ingreditur, facile est illi vniuersa deponere, quæ eius pulchritudinem turpant; & omnia, quæ eam ornant, comparare. Sicut enim casta virguncula domi manens, & in texendis vestibus, & faciendis ornamentis sui corporis occupata, breui tempore multa parat in diem desponsationis suæ, quibus omnibus pulchra, & apprime culta videatur: Ita anima cubiculum proprii cordis ingressa, ibique non desidiola, sed officiosa manens, immensum virtutum & cœlestium donorum ornatum præparat, vt se ipsam oculis cœlestis sponsi pulchram, & amabilem offerat. Hoc autem est aliud religionis bonum, quod quietem & tranquillitatem cordis consequitur, de quo inquit Dominus, religiosam animam adhuc erudiens. Et peruenisti ad mundum muliebrem. Mundus muliebri, aut sponsæ ornamentum, quo anima tamquam sponsa Dei pulchra ornatur, atque excolitur, vt in eius purissimum lectum deferatur,

Exech. 16. 7.

A & od castissimos admittatur amplexus, puritas mentis est, quæ eam amabilem efficit, & Dei consortio atque conspectu dignam reddit. Nam sicut mundus feminarum est, quem ipsa omnibus præferunt, cuius causa die noctrique laborant, eoque decoræ, & amabiles apparent, & ad coniugium aptæ iudicantur: Ita mentis puritas est, quam præ omnibus cupere, & amare debemus, & nocte ac die iugiter pro ea adipiscenda laborare, tamquam pro vera pulchritudine, quæ Dei oculos capit, sanctissimumque cor eius nostri amore, succendit. Rectè enim dixit Leo Papa: Vniuersitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, vt eorum consortio mereatur adscribi, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Gregorius Nazianzenus, ait: Neque enim quicquam apud Deum, qui purus est, pluri habetur, quàm puritas, aut certè purgatio. Nec non & Augustinus: Munditiam vocat finem, quo perficimur, nõ quo consummamur. Hæc puritas est, quam Deus impensè amat, & in anima vehementer exquirat: quæ si desit, iniusta est illi, & detestabilis omnis nostra externa lauitia. Istam quærentes, illam verò non curantes, audiunt à Domino: Væ vobis hypocritæ, quia mundatis, quod foris est, calicis, & paropisdidis intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæ cæce, munda prius, quod intus est calicis, & paropisdidis, vt fiat id, quod de foris est mundum. Hæc puritate anima spõsum suum Deum tenet, nec dimittit, donec introducat eum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. Mater animæ gratia est, eam spiritualiter generans, nuticiens, docens, atque gubernans: Domus autem huius matris, fructus est actionis, & cubiculum genitricis, cor nostrum occupatum in opere contemplationis: spiritualis ergo munditia est, quæ animam in hoc cubiculum introducit, idoneamque reddit, vt cum sponso quiescat, & purissimo eius perfuatur amplexu. Quare optimè Venerabilis Richardus inquit: Gratia inuenitur Christus, sed munditia in hospitium cordis introducitur, iam animam visitauit, sed donec munda sit, non est digna, vt moram cum eo faciat. Ad hoc inuari se petit per orationis instantiam, dicens: Tenui eum, nec dimittam.

Leo, ser. 12. quadrag.

Matth. 5. 9. Nazian. ad Greg. Nys. ser. orat. in eius pro mot. ad E. p. scopati Aug. ser. 1. 4. de sctis, tom. 10. Matth. 23. 25.

Cant. 3. 4.

Richard. in cant. c. 6.

D Meritò itaque cordis puritas, quæ animam idoneam reddit ad diuinum consortium, mundus muliebri appellata est; sed ad istam munditiam, ac cordis puritatem, vbi anima meliùs, quàm in sancta religione perueniet? Religio, omnia remouet, quæ puritati aduersantur, & cor hominis sua vilitate commaculant. Hæc enim sunt, diuitia, delicia, & propria voluntas. Diuitiæ quidem animam nostrum insciunt, quia amor earum immoderatus virtutes omnes euertit, & omnium vitiorum immunditiam violentissimè inuehit. Vnde Chrysostomus inter alia multa, quæ in hoc argumentum congescit, illud constanter affirmat. Diuitias, non natura sua, sed hominum vitio, omnium bonorum materiam abscindere, & vniuersorum malorum fomitem ministrare. Non solum (inquit) nihil virtutis animo conferunt, sed etiam paratum aliquid, & reconditum inuenerint, subruunt: & econtrariò vitia pro virtutibus introducunt. Ipsarum enim pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, iniustitia, arrogantia, superbia, omnisque irrationalis motus. Quid quòd licet sine his peccatis à quibusdam possideantur, tamen sine nimio amore erga eas,

Chrys. hõ. 9. quod memo. 16. 5.

Ibid.

Deuter. 10.8.

Cassian. lib. 7. de spirit. in fornic. c. 15.

Ephes. 5. 3.

Greg. 31. mor. c. 3.

1. Cor. 6. 18.

Anselm.

Isidor. lib. 2. sent. c. 39.

Hieron. in c. 5. ad Ephes.

vix retineri possunt? Qui amor in re tam vili, & abiecta collocatus, non parum cor hominis maculat. Quam ob causam idem pater Chrysostomus sapientissimè diuitias cœnum, stercus, & sordes appellat. Ab his tamen fordibus, vita religiosa cor nostrum emundat: non solum opes, & rerum temporalium superfluitatem amandans, verum etiam earum amorem & cupiditatem abiiciens. Quare dum in eam vitam tamquam in castra Domini admitti postulauimus, illud Deuteronomij præceptum in auribus nostris intonuit. Si quis est homo formidolosus, & corde pauido, non egrédietur bellum: vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. Quo testimonio vt Cassianus mysticè interpretatur, illud nobis mandatum est, ne statum religiosum arripiamus, si actione & affectu exoluti à terrenis facultatibus in carnobio persistere non audeamus. Hæc namque diuitiarum possessio, non solum nos ipsos decipiet, vt indignissimus religiosorum habitu, & nomine, verum in alios quoque sese hæc petis effundet, qui nostro exemplo decepti & incitati, cum ingenti religionis detrimento, eundem grauissimum morbum incurrent.

At deliciae non tantum mentem, & corpus hominis polluunt, sed etiam ad statum bestiarum irrationabilium deiciunt. Quod Paulus manifestissimè docuit, fornicationi immunditiam attextens. Fornicatio (inquit) & omnis immunditia, & auaritia, nec nominetur in vobis. Immunditiae nomine, omnes luxuriae species intelligens, quibus homo ab ingenita sibi nobilitate degenerans, animalium rationis expertum induit vilitatem. Et sanè hæc duo nomina, immunditiae, & auaritiae, quae Paulus impuris voluptatibus tribuit, sunt consideratione dignissima. Vocat eas immunditiam, quoniam animam illis filiabus suis, quas Gregorius enumerat, scilicet, cæcitate mentis, inconsideratione, inconstantia, præcipatione, amore sui, odio Dei, affectu præsentis sæculi, & horrore futuri commaculant, & corpus etiam inficiunt. Nam omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Hoc est, contra honorem corporis sui (vt Anselmus exposuit.) Fornicatio enim in tantum pollutuit corpus ipsum, in tantum libidinis ætus accendit, in quantum venenum delectationis illicitæ, sese per totum corpus diffundit. Vocat auaritiam, quo significat inexplebilem, ac insatiabilem carnis libidinem. Quæ (vt inquit Isidorus) repetita, maiorem delectationem ingerit. Iam verò si in vsum venerit, tantò perditis dulcior fit, vt separare difficile sit. Vnde & sæpe ex consuetudine delinquendi, quasi captiui ad peccandum cum quadam violentia trahimur, sensusque nostros contra rectam voluntatem in nobis rebellare sentimus. Hunc autem esse sensum Apostoli, Hieronymus apertè testatur. Non hanc (inquit) auaritiam appellat, qua pecuniâ cupimus cœgregare, sed illam, de qua supra diximus, Ne supergrediatur, & auarus fraudet in negotio fratrem suum. Quidd scilicet insatiabilis, & inexpletus per omnis turpitudinum genera, lasciuiaque discurret.

Hanc etiam immunditiam status religiosus abluit, castitatem vouens, minimas quoque cogitationes, puritati cœtrarias allidens, & corpori, vt spiritui seruiat, quotidianum abstinentiae & afflictionis pensum indicens. Est autem castitas tam principalis pars cordis puritatis, vt Paulus ipsam sanctitatem

ac puritatem appellet. Hæc (inquit) est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij. Vides (ait Cassianus) quibus eam laudibus prosequatur, honorem vasis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam? Igitur e contrario, qui in passione desiderij est, in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur. Status ergo, qui castitatem tamquam sibi propriam amplectitur, non dubium quin delicias, cor, & corpus nostrum maculantes, abiciat.

Propria verò voluntas, quantum hominem pollut, manifestum est, cum vniuersorum sit peccatorum nos inquinantium seminatum. De corde enim, id est, à propria voluntate exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae: hæc sunt, quæ co inquinant hominem. Hanc autem fontem iniquitatis, atque originem immunditiae vita religiosa tam constanter obturat, vt eam religiosum, & suum filium non putet, quem viderit ceruicem obedientiae non submitisse, nec in omnibus propriam voluntatem abnegasse. Hanc praelati in subditis suis sapientissimè cohibent, ea ministeria illis ad mortificationem iniungentes, à quibus magis sensus abhorret. Hanc ipsi subditi in seipsis interimunt, suspectum, & periculosum reputantes: quidquid propria voluntas appetit, & non praelati iniungit auctoritas. Hanc occupationes ipsæ religiose remouent, suo tempore, & loco præstandæ. Neque enim quisque orat, aut laborat, aut corpori necessaria ministrat, quando vult: sed secundum superioris ordinisque præscriptam. Quæ uel cuiuslibet religioso illud Hieronymi dici potest: Non facias, quod vis, comedas, quod iuberis, vestiare, quod acceperis, operis tui pensum absoluas, subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno, surgere compellaris, dicens Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus queritur, dicente Apostolo, Psallam spiritu, psallam & mente, & cantantes in cordibus vestris Domino. Legerat enim esse præceptum: Psallite sapienter. Seruias fratribus, hospitium laues pedes, passus iniurias, taceas, præpositum monasterij timeas, vt dominum, diligas vt parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, Nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt, dicente Moysè: Audi Israël, & tace. Tantis negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus, & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris. Voluntas autem his tribus telis oppugnata, armisque impetita, quid nisi succumbat, & victa, ac prostrata diffugiat?

Aufert ergo status religiosus omnia ea quæ possent cordis puritate impedire, atque adeo facile est in ea mundum hunc muliebrem conquirere, quod sponsam supremi regis exornet. Si verò prædicti puritatis hostes repente irruant, & impetu in nos facto adeptam innocentiam surripere curent, habet religio arma, quibus hostium propulset iniuriam, & suos alumnos tueatur. Quid enim sunt fletus, non desperationis, sed spei? Quid gemitus, non impatientiae, sed compunctionis? Quid orationes assidue, quibus non temporalia petimus, sed ecclesia, & spiritualia postulamus? Quid ipsius sæculi derelictio, quæ omnem peccandi

maeriam

1. Thes. 4. 3.

Cassian. lib. 5. de spirit. in fornic. c. 15.

Matth. 23. 19.

Hier. Epistol. 4. c. 6. & 7.

1. Cor. 14. 16. Ephes. 5. 19. Psal. 46. 8.

Deut.

Can. 1. 9.

Bern. ser. 39. in cat.

Ber. ibid.

Exod. 14. 25.

Chryl. ser. de laudibus monachorum. tom. 5.

materiam succidit, nisi arma quaedam fortissima, quae omnes hostes puritatis obtulerint, atque peruerunt? Ideo anima mundum derelinquens equitatu sponfi aduersus curus Diaboli armato assimilata est. Equitatu meo (inquit) in curribus Pharaonis assimilauit te.] quia ea apud se habet, quo cuneos aduersariorum vincat, & a se iugum impuritatis excutiat. Nec miraberis (ait Bernardus) vnam animam equitatus multitudini simulatam, si aduertat, quantae in ipsa vna, quae tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantum in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphantium.] Hanc autem multiplicem de hoste victoriam, si vis sigillatim aduertere, audi eundem infra dicentem. Ibi populus eductus est de Aegypto, hic homo de saeculo, ibi prosternitur Pharaon, hic diabolus; ibi subuertuntur curus Pharaonis, hic carnalia, & saecularia desideria, quae militant aduersus animam, subruunt, illi in fluctibus, isti in fletibus, marini illi, amari isti. Puto & nunc clamitare daemones, si forte contingat incidere in talem animam: Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat cum eo.] Magnam quidem habet anima occasionem puritatis, tanta fortitudine roborata, quae puritatis hostes arceat, & omnia saeculi oblectamenta nos maculantia peruertit.

Et sane praeter arma iam dicta, ipsi domus religiosae parietes terribiles sunt Diabolo. Fugiat ab eis, tamquam a muris fortissimis, quos vallat, & cingit angelica, ac diuina custodia. Sunt enim domus istae armamentaria quaedam, omni armorum genere plena, vniuersis ad nostram tutelam necessariis instructa, quae daemones eminus aspicientes pertimescunt, & ne irideantur, & deturbentur, tandem, tandem non sine indignatione diffugiunt. Si enim Diabolus lachrymis, & penitentia fugatur, si precibus, & oratione prosternitur, si vigiliis, atque ieiuniis vincitur, quid ni caenobia his armis aduersus impetus suos referta diffugiat? Sapienter profecto dixit Chrysothomus. Certissima lachrymarum sedes monasteria sunt, vbi saccus, & cinis, vbi solitudo, vbi risus nullus, vel rerum praesentium obtrubatio, vbi ieiunium, & humi cubatio. Sunt namque ibi omnia nidore, & illecebris vacua, & quavis interpellatione, & inquietudine libera. Insuper portus tranquillissimi sunt, quos qui inhabitant, veluti ignes sunt, qui cum e loco editio-ri emicent, lucem vel eminus aduentantibus exhibent, cumque vel in portu resederint, ceteros ad suam alliciunt tranquillitatem, neque se intuentes pati naufragium sinunt, vel in tenebris degerere, qui ad se oculos intenderint.] Ex cuius sententia elucet, quam sint monasteria daemonebus terribilia: siquidem in eis religiosi, non solum se ipsos a daemone potestate vindicant, & a vitiorum tyrannide liberant, sed aliis etiam sunt causa salutis, quos instar ignium, vita illuminant, tamquam praecceptores verbis vocant, & tamquam thesauri pretiosissimi splendore sanctitatis alliciunt. Ac his omnibus perspicue ostendunt, sibi statim omnia adiumenta esse donata, quibus deiciant inimicos sanctitatis. Sunt denique domus religiosae, sicut repositoria quaedam, in quibus animae custodita, si velint, nec libidinis caeno maculantur, nec cupiditatis luto sadantur, nec propriae voluntatis sordibus polluantur, imo nec inanium curarum puluerem sentiunt, quia ipsa caenobia vndique parietibus

A bus clausa, cura praetorum circumspccta, & diuina protectione munita mirabiliter ab omni graui labi defendunt. Quare non insulse Bernardus monasteria cum stagnis confert. Merito (inquit) monasteria stagnis comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habent libertatem, quod videlicet parati sint seper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se: Quando veniet qui me deferat? cunctis diebus, quibus nuc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.] O felix stagnum, in quo, & a peccatorum alienorum manibus liberamur, & hamo diuinae dulcedinis, quae nos capiat & trahat, expositi sumus. habemus ergo in vita religiosa adiumenta valida, quorum praedio mentis sordes tergamus, & daemones nostram nuditatem & ignominiam curantes, a nobis ipsis repellamus.

B Non solum autem hic noster status abiicit impedimenta puritatis, verum etiam omnium illorum diues est, quae puritatem efficiunt, conseruant, & ad omnimodam perfectionem deducunt. huius generis sunt, mortificatio cogitationum, cohibitio passionum, iugis oratio, & familiaritas cum Deo, omniumque exercitatio virtutum. Est enim hic noster status tamquam sapiens, & peritus medicus, qui nouit, celerem, & expeditam medicinam omnibus nostris vulneribus adhibere. Est velut diligens fuilo, qui lixiuio, ex compunctionis aqua, & cinere humilitatis confecta, scit vniuersas maculas, tum magnas tum exiguas, animarum abluere. Et forte ad agrum huius fullonis Isaias cum Iasub filio sibi relicto iubetur conscendere, vt ibi regiam mundi

C superbiam non iam ore quam opere reprehendat. Nimirum subindicans haec Scriptura (vt ait Basilius) nos oportere ad his desciscere, quae per se vilia sunt, ac repunt humi, & ad superna toto nixu contendere, vbi nobis constitutis, in expurgationem inuenitur aqua, & ager fullonis, peccatorum sordes extergentis, id quod nobis non paruum emolumentum affert. Est denique hic noster status, sicut doctus virtutum magister, cuius omnis doctrina, omnes voces & opera ad hoc tendunt, vt puritatem & cordis mundiciam discamus. Regulae eius mundiciam clamant, decreta, & scita ab ipso proposita mundiciam postulat, omnia, quae nobis, aut videntia aut facienda proponit, cuiusmodi sunt exempla fratrum, actiones sanctorum, occupationum multitudo, sacramentorum frequentia, orationis, & Psalmodiae iugitas; minimorum defectuum correctio, castigatio corporis, circumspcctio mentis, indumentorum vilitas, cellulae paupertas, mundiciam & puritatem exposcunt. Quare egregie dixit Hugo Victorinus. Religionem bonis & malis esse optimam. Facit enim (inquit) de malo bonum, de bono meliorem, & de meliori optimum. Et hoc fit quando visitat impium Deus: Vnde Psalmista, Visitasti terram, & inebriasti eam.] Visitat Deus & bonam & malam terram, & terram meliorem, & terram optimam. Per timorem, terram malam visitat, bonam per incipientem Charitatem, meliorem per abundantem, optimam per perfectam.] Si itaque religio malos emendat; bonos vrget; meliores promouet; & optimos perficit; non dubiam quin sit gymnasium puritatis, & schola virtutis, in qua anima ab omnium vitiorum labe mundatur, & in vniuersis bonis actionibus eruditur. Hic ergo, o anima, ad mundum muliebrem peruenisti, quod non vnum tantum feminae ornamentum, sed omnia eius ornamenta, & indumenta designat, quia

D

E

Bern. ser. 1. de S. Andrea.

Isa. 7. 9. 14.

Isa. 7. 9.

Basl. in eu locum.

Hugo lib. de claus. anim. c. 17.

Psal. 64.

puritatem Dei munere, ac beneficio acquisiuit, que non vnam aliquam facultatem, sed omnes vires anime exornat, & ab omni macula, & forde purificat. Hec enim est, que cogitationes ordinat, affectus mitigat, sensus purgat, verba componit, opera perficit, & totum hominem indumentum spiritualis pulchritudinis induit.

Religiosos aptissimos esse, vt Ecclesie profint.

CAPVT XVIII



QVAM apte, & sapienter scit Dominus sua nobis beneficia detegere, ac opera mirabilia manifestare! Vere Deus scietiarum Dominus est! qui non tantum rerum naturas, verum etiam ordinem nouit, & quid sit prius, quid vero posterius, quid ex quo nascatur, & a quo, tamquam a radice, & principio pendeat, euidenter ostendit. Post mundum muliebrem, hoc est puritatem cordis suis religionis prerogatum, vberum, & pilorum meminit. Vbera (inquit) tua intumuerunt, & pilus tuus genuit. Quia haec duo ex oramento praedicto animae, ac ex mundicia cordis emanant. Vbera enim illa sunt, quibus in canticis. Quam pulchrae sunt mammae tuae sicut spona, pulchriora sunt vbera tua vino. Quae duplicem compassionem significant. Alteram corporalem, Alteram spiritualem. Has habet anima (inquit Venerabilis Richardus de sancto Victore) quando corporum necessitate laborantibus, compatitur, siue in aliquo peccato, vel tentatione positus, consolationem, & orationem impendit. Haec vbera habet, quando nouit gaudere cum gaudentibus, & flere cum fletibus, infirmis cum infirmis, vti cum scandalizatis. Pulchrae sunt mammae illius animae, quae omnibus ex affectu comparitur, & nullius dolores sine cordis dolore potest praeterire. Vbera profecto sponsae dignissima, quia vberibus sponsi simillima. De illis quippe dictum est: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Vis scire quam similia? Audi Bernardum. Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitae mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & elementer recipit penitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in peccatore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Haec duo suauissima vbera premit sponsus amabilis, patetque benignus, vt misericordiae lac nobis pusillis exhibeat. Magna ergo est similitudo vberum sponsae, & sponsi, Nam si ille compatitur infirmitatibus nostris, nos ab illo discetes, curamus misereri infirmitatibus alienis si ille fugientes vocat, cunctantes inuitat, tepidissime venientes expectat, accedentes amplectitur, & ne iterum a se discedant, gratiae potentia resistit, ita & nos, cum illi similes esse cupimus, omnibus istis subiaccemus affectibus, vt fratres nostros in virtutis regnum traducamus. Merito autem haec duplex compassio animae vberibus significata est, quia sicut in feminis vbera sunt adolescentiae, atque annorum nubilitium indicia, eorumque lacte paruulos alunt, ac nutriunt: ita compassio in anima signum est eam iam infantiam, atque pueritiam spiritualem excessisse, & ad adolescentiam, atque annos nubilem peruenisse, in quibus Christo, purissimo nubio iungatur. Et nihil est, quod aequè peccatores alliciat, & ad spirituales matres, hoc est, ad Euangelicos ministros adducat, ac dulcedo animi

1. Reg. 2. 3.

Ezech. 30. 7.

Cant. 4. 10.

Richard. in cant. c. 28.

Cant. 1. 2.

Bern. ser. 9. in cant.

A in ipsis inuenta, & miserorum, ac infelicitum peccatorum suscepta compassio.

Pili vero animae robor ad sustinendos praedicationis labores, & fortitudinem internam ostendunt. Vnde Elias, vir pilosus esse describitur (vt inquit Hieronymus) in virilitatis argumentum. Quamobrem & habitatio eius in solitudine, & conuersationis austeritas, non solum virum, sed & virum fortissimum demonstrabat. Et Dominus in Isaia cominatur se rasurum a Iudaea in nouacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam, vt scilicet, nihil in ea forte robustumque resideat: sed effeminatis hominibus timidisque mulieribus comparetur. Et quidem huiusmodi pili non sine causa roboris sunt, ac virtutis indicia. Nam & pilosi homines fortissimi, & inuincibiles esse solent, leues vero timidi, & imbecilles, & inde ad animum similitudinem trahimus, vt cui pili nati sunt, eum animum fortem, & ad sufferendos labores aptum iudicemus. Anima ergo, post mundum muliebrem in religiosa vita comparatum, audit: Vbera tua intumuerunt & pilus tuus genuit, quia compassione & fortitudine, ex cordis puritate nascentibus, exornatur, vt apta sit, & proximis alere, & eorum miseriae & infirmitates sustinere.

Cum primum anima vitam religionis aggreditur, se solam inspicit, se ipsam promouere studet, sui solius curam gerit, sola sua peccata luget, affectus cohibet, virtutes inquirat, Deo adherere cupit, seque ipsam omnium studiosarum actionum labore perficere. Aliorum salutem, aut nihil, aut parum curat, neque proximos ad Dei amorem & cognitionem incitare contendit. Non mirum hoc, quia adhuc paruula est, & nec dum generandis, & educandis filiis idonea. Sicut enim natura infantes ad officium generationis non excitat, quia ad id maneris necdum apti sunt, & omnes vires in eorum augmentum, non in speciem humanae conseruationem occupat: ita gratia incipientes, & virtute pusillos, ad curam, & profectionem aliorum quaerendum, non permouet, solo ipsorum pusillorum spirituali augmento, & promotione contenta. At postquam anima religiosa ad perfectionem peruenit, vel plusquam mediocriter in virtute profecit, postquam acquisiuit mundum muliebrem puritatis, tunc eius vbera, ea scilicet duplicem compassionis quae diximus, incipiunt gemmare, atque intumescere, tunc pilus, indicium fortitudinis, incipit germinare, & ultra propriae perfectionis curam, iam ad laborandum in domo Domini, & ad adiuuandos fratres, vocari se sentit: nec timet, in Deo confisa, proximorum saluti consulere, & opera animarum suscipere. Iam non dicitur illi per brum: Soror nostra parua, & vbera non habet. Quia auxiliis diuinis multiplicata, & despectione saeculi grandis effecta, quid ni vbera habeat, suauissimi lactis plena, quo filios per Euangelium genitos valeat educare: iam idonea est, istos suauiter monere, illos duriter increpare: prudentiam habet, vt lapsos erigat, tepidos inflammet, nutantes confirmet, audaces comprimat, bene currentes laudet, & omnibus perfectionis iter ambulantiibus auxilium praebet. Antea loqui timebat, docere metuebat, aliena utilitatis sollicitudinem fugiebat, & si illi aliquid proximorum onus committebatur, non sine mœrore clamabat: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum. Postquam vero vberibus, & signis adolescentiae pollet, dicit: Vt mihi, quia tacui: & non superbia elata, neque ambitionis desiderio incitata

Hiero. lib. 1. in Ezech. ad c. 35.

Isa. 7. 20.

Cant. 8. 3.

Jerem. 6. 6. Isa. 6. 5.